Lane Medical Library

# OBSERVATIONES
DE
# OLEI CITRI AETHEREI
RECENS EXPRESSI USU
IN QUIBUSDAM OCULORUM MORBIS.

---

# DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-OPHTHALMIATRICA
QUAM
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
*DIE XXIX. M. OCTOBR. A. MDCCCXXVIII.*
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
**GUSTAV. ADOLPHUS WERLITZ,**
NEO-RUPINENSIS.

---

OPPONENTIBUS:
*H. HEDINGER,* MED. ET CHIR. DD.,
*E. FRIESE,* MED. ET CHIR. DD.,
*E. LANGE,* MED. ET CHIR. CAND.

---

BEROLINI,
TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, GENEROSISSIMO

EXPERIENTISSIMO

# FERDINANDO DE GRAEFE,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI P. O. UNIVERSITATIS FRIDERICAE GUILELMAE ET ACADEMIAE MILITARIS, CHIRURGORUM CASTRENSIUM REIQUE OMNIS MEDICAE EXERCITUS BORUSSICI PRAEFECTO SUMMO, CLINICI CHIRURGICO - OPHTHALMIATRICI UNIVERSITATIS ATQUE INSTITUTI MEDICO - CHIRURGICI FRIDERICO - GUILELMIANI DIRECTORI, SECTIONIS PRO SANITATE PUBLICA TUENDA IN SUMMO MAGISTRATU RERUM CIVILIUM MEMBRO, REGIAE SOCIETATIS FACULTATIS MEDICAE PARISIENSIS, SOCIETATIS MEDICAE AEMULORUM PARISIENSIS, SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARUM GÖTTINGENSIS, SOCIETATIS CAESAREAE NATURAE CURIOSORUM MOSCOVITICAE, SOCIETATIS PHYSICO - MEDICAE ERLANGENSIS, SOCIETATIS NATURAE SCRUTATORUM HALENSIS, ALIARUMQUE SODALI, POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIIS INTIMIS ORDINIS CRUCIS FERREAE, ORDINIS CESAREI RHUTENICI ST. ANNAE IN CLASSE SECUNDA EQUITI, LEGIONIS REGIS FRANCO - GALLIAE HONORARIAE DECURIONI, ORDINIS CAESAREI RHUTENICI ST. WLADIMIRI IN CLASSE QUARTA ET SUECICI VASANI ETC. ETC. EQUITI,

FAUTORI MAXIME VENERANDO,

HASCE PAGELLAS

SUMMO, QUO PAR EST, CULTU

D. D. D.

AUCTOR.

# PRAEFATIO.

Cum per annum in nosocomio caritatis Berolinensi medici inferioris munus administrans versarer, a summa rerum ecclesiasticarum et medicinalium praefectura praeceptum est, ut olei de cedro, recens expressi, qualis et quanta in morbis oculorum efficacia esset, experimentis probarentur. Neque mihi non contigit, ut hanc rem, ex inventoris, hominis cujusdam litterarum medicarum imperiti, praeceptis exsequendam suscipere deberem, atque, quas mutationes morborum efficeret, quam in eos vim exerceret et quibus in casibus optime conveniret, de die in diem accu-

ratius observare liceret. Quodsi igitur, quae de hoc novo, medicis hucusque, in morbis saltem oculorum non adhibito medicamine experta probataque habeo, in medium protulero, persolvisse, quae debeo, mihi videor, ut, designatus, lauream medicam adipiscar. —

# INTRODUCTIO.

Oleum de cedro sive oleum citri aethereum fructibus arboris, quae citrus medica appellatur, inest, atque e corticibus eorum maturis flavescentibus, qui, cum recentes sunt, sat magnam ejus copiam, singulis cellulis contentam largiuntur, paratur, gratoque sapore et colore subflavescente est. Quae praeterea ipsi propria sunt, a ceteris oleis aethereis non differunt. Medici eodem adhuc raro tantum, eoque non nisi ut corrigente vel cosmetico medicamine usi sunt. — Intrinsecus potissimum elaeosaccharum citri, aliis, quorum et odor et sapor emendetur, additum medicamentis adhibetur. Neque tamen ejus virium, qualescunque sunt, ulla singularis descriptio existit. — Extrinsecus imprimis unguentis admixtum est, eo quidem consilio, ut suaveolentiora, minus, ut efficaciora reddantur. Tanta vero ejus vis irritans est, ut haec unguenta etsi paucas tantum olei guttulas continent, cuti illita vel imposita, in eadem, si tenerior est, erythema, quin etiam pustulas gignant — quod chirurgi probe sciverunt. E. g. unguenti rosati Ph. bor. uncia quatuor tantum guttas

commixtas habet, nihilominus tamen illa ex causa tenerae cuti applicari nequit.

---

## MODUS ADHIBENDI.

Oleum citri, ut recens incorruptumque et simplici modo in morbis oculorum adhiberi possit, sciri oportet, in flavedinis citrorum contextu celluloso contentum esse, et recens e cellulis expressum oculis applicari debere. Id quod hoc modo fit: caute, ne ad vivum reseces, cultro communi, sed solito acriori et tenuiori segmentum tenue planumque corticis fructui inhaerentis absciditur, quod unius digiti longitudinem, dimidii latitudinem habet dimidiamque vel totam lineam crassum est. Extremis ejusdem partibus secundum longitudinem pollice et indice cujuslibet manus adprehensis, perpendicularis proxime contra oculum, subflava specie externa corticis huic adversa, tenetur; altera chirurgi manu palpebra superior sursum, inferior vero ab aegroto ipso aut a socio deorsum trahitur et retinetur. Deinde digitis, qui citri corticem amplectuntur, compressis, oleum aethereum exprimitur oculoque vi quadam immittitur. Quo facto magna oculi irritatio existit, quae haud raro unam vel duas horas, magis magisque evanescens, perseverat. Adeo autem olei saepius iteratae applicationi oculus assuescit, ut paullo post vix ullum irritamenti vestigium relinquatur. Ubi vero nimia oculi inflammatio est,

statim, oleo insperso, epithemata frigida per dimidiam vel totam horam adhiberi oportet, ut ne justo major irritatio vehementiorque inflammatio reddatur. Applicata vero aqua frigida omnis irritatio plerumque brevi disparet. —

---

## OBSERVATIO PRIMA.

*Carolina Mühlbock*, viginti annos nata, puella debilis scrophulosa, primo aetatis tempore, si nonnullas affectiones scrophulosas exceperis, per bene egerat. Tertia, antequam in nosocomium caritatis recepta est, hebdomade, in inflammationem oculorum rheumatico-catarrhalem incidit, quae initio neglecta, vasorum oculi varicositates ac nebulas corneae gignebat. Recepta hoc statu se obtulit: utriusque oculi photophobia insignis et epiphora notabilis; vasa conjunctivae bulbi undique ad centrum corneae convergentia, in sinistro tamen magis, quam in dextro oculo conspicua; ipsa bulbi sinistri cornea, praecipue media in parte, admodum laxa et opaca; pupilla tamen conspici poterat; cornea bulbi dextri valde obscurata et expansa, ita ut pupilla vix pelluceret; visionis tanta laesio erat, ut aegrota solitis, quae manu perficiuntur, mulierum negotiis non operam dare, nec dignoscere quidem majores res, haud procul remotas, bene posset. — Modo supra exposito quotidie quinquies vel sexies oleum citri injiciebatur; atque initio semper irritatio permagna

et dolores vehementes, per dimidiam fere horam persistentes sequebantur, adhibita autem aqua frigida mox tollebantur. — Nihilominus tamen aegrota brevi post tam bene injectiones ferebat, ut vix ullum, eumque brevissimum dolorem persentiret. — Qua continuata aliquot dies curandi ratione, et photophobia et lacrymarum secretio multum minuebantur. Serius omni bihorio oleum citri adhibebatur, notabilisque visus emendatio sequebatur. Cum vero aegrota refrigerium subiisset, denuo inflammatio recrudescebat, qua ex re opus fuit, oleo citri omisso, hirudines ad oculum applicare, vesicatorium nuchae imponere atque intrinsecus mixturam diaphoreticam propinare. Sublato vero intra duodecim dies inflammationis vigore, protinus oleo citri uti licebat. Neque tamen hoc novum malum sine vestigio recesserat, sed vitia oculorum memorata, prae caetera panni formatio, magis provecta et ad pristinum statum reducta erant. Idcirco omni hora immitti oleum oculis, necesse videbatur, atque, ubi hebdomades quatuor praeterierant, aegrota oculis in integrum restitutis gaudere poterat. —

## OBSERVATIO SECUNDA.

*Carolus Siemon*, homo viginti sex annorum robustus, ad hoc tempus usque bene valuerat. Exorta vero inflammatione oculorum rheumatica, et initio ejus, ut plerumque fieri solet, ratione non habita, cum quatuordecim jam dies exstitisset, ad nosodochium nostrum devenit. Jam etsi ipsa florida

inflammatio delapsa erat atque, insigne largissima muci palpebras ciliaque conglutinantis secretione, stadium secundum intraverat, cum magna oculorum sensilitate, photophobia et lacrymarum profusione conjunctum. Praeter tenuem subtilemque scleroticae ruborem, conjunctiva et palpebrarum et bulbi purpureo colore perfusa turgidisque singulis vasis peragrata erat. Cornea et, quae profundius jacent, organa, sana, omninoque valetudo, exceptis vehementissimis in regione frontali doloribus, bona erat. Oleum citri initio per diem sexies, mox vero omni hora injiciebatur, tantopere vero oculos irritabat; ut quamque injectionem epithemata frigida sequi oporteret. Neque eo minus tamen tantam consuetudo vim exercebat, ut serius nullae inde molestiae exorirentur. Atque duodecim praeterlapsis diebus sanatus e nosocomio aegrotus excessit. —

## OBSERVATIO TERTIA.

*Sophia Bartels*, puella viginti annorum, constitutione valida octavo die ante receptionem in nosodochium ex refrigerio vehementem oculi sinistri inflammationem rheumaticam reportaverat. Conjunctiva bulbi admodum rubra erat, vasisque, sanguine refertissimis, quae corneam versus potissimum decurrentia hanc coronae instar cingebant, scatebat. Sub colore autem e fusco rubro conjunctivae perspicue altior et rosaceus fere scleroticae inflammatae rubor interlucebat. Lucis intolerantia et secretio lacrymarum haud exigua; dolores oculi ipsius et re-

gionis supra orbitalis vehementissimi erant. — Initio pluries hirudines appositae, et praeter regimen calidum, remedia laxantia et derivantia praescripta sunt. Quae curatio cum per sex dies sine notabili aliqua mutatione vel in melius versione instituta fuisset, inflammatio secundum in stadium transibat atque siccitas profusae muci secretioni cedebat. Opportunum igitur, quo oleum citri conveniret, tempus esse videbatur. Tertio decimo igitur post morbi initium die oleum citri primum, ter, neque sine magna oculi irritatione injiciebatur, ita ut nunquam non epithematibus frigidis opus esset. Jam vero secundo die et vasorum multitudo et photophobia mucique et lacrymarum secretio valde imminutae, vehementes vero illi frontis dolores omnino sublati erant. — Inde ab hoc tempore omni bihorio injectiones adhiberi poterant; neque eo minus tamen, quamquam irritatio multo minor, quam antea erat, epithemata frigida adhiberi debebant. Sequente die prosperrimo eventu omni hora oleum illud injiciebatur, idque cum tam exigua oculi affectione, ut aqua frigida omitti posset. — Sex a prima injectione praeterlapsis diebus, aegrota sanata est. —

## OBSERVATIO QUARTA.

*Guilelmus Laeckert*, viginti annos natus, quatuor ex hebdomadis inflammatione catarrhali oculi dextri vexatus, remediisque et alvum laxantibus et derivantibus usus erat. Cum reciperetur in nosocomium, conjunctiva bulbi tumida, vasisque sanguine

turgidis, suffusa, atque eodem modo interior palpebrarum facies, praecipue circa tarsi marginem, rubore obducta erat; aegrotus sub motu palpebrarum de ingrato tensionis arenaeque veluti illapsae sensu querebatur; photophobia modica animadvertebatur. Muci magna copia a glandulis Meibomianis secernebatur, ita ut palpebrae ciliorumque apices sub nocte conglutinarentur. — Hoc in statu oleum citri adhiberi coeptum est. Cum vero aegrotus id moleste ferret, indeque dolores urentes et photophobiae incrementum orirentur, vix quater per diem eodem uti licebat. Neque tamen epithemata frigida in usum vocabantur. Rubor paulatim pallidior fiebat; oculis lux clara grata erat. — Deinde, cum minor sequeretur irritatio, secunda quaque hora injectiones repetebantur; inflammationis symptomata magis magisque recedebant, jamque octavo post inceptam hanc curationem die aegrotus, nullo relicto morbi vestigio, dimitti poterat.

## OBSERVATIO QUINTA.

*Guilelmus Lehmann*, viginti duos annos agens, habitu quidem scrophuloso, nullum tamen unquam gravem morbum expertus, ex refrigerio in inflammationem oculi sinistri inciderat, quam, cum magna excruciaretur et mane et vesperi exasperante photophobia, neque epiphora, dolores pungentes arenaeque inter palpebras bulbumque illapsae sensus deessent, catarrhalem scrophulosam habere fas est. Unguentum Tartari stibiati nuchae illitum et colly-

ria adstringentia inflammationis quidem vim repulerant, obscurationes vero corneae, quominus remanerent, impedire non potuerant. Post aliquot menses dextri quoque, integri eo usque oculi, ex levi mechanica laesione, inflammatio exorta erat, quae eundem, quem prior, cursum tenuerat atque corneam satis obscuram reliquerat. Quae ut dilucida redderetur, medicamina varia, diutissimeque Tinctura opii simplex et diluta et pura, sine ullo successu adhibita erant. Quamobrem aegrotus nosocomium caritatis petierat; atque cum exciperetur, is oculorum status erat: in cornea utriusque oculi nubilae obscurationes sat notabiles (nubeculae) contra ipsam pupillam conspiciebantur, quae, colore ex albo griseo, tantam visus laesionem efficiebant, ut in luce clariori omnes quasi nebula obductas res videret, in crepusculo autem omnino nihil dignoscere posset. Arti igitur, quam didicerat, sartoriae operam dare amplius non poterat, Praeterea vasa conjunctivae bulbi laxa et turgida erant. — In qua oculorum affectione cum anomala sensilitas plane deesset, statim ab initio oleum citri omni hora oculis immitti coeptum est. Prosecuta quamque injectionem haud parva irritatio, nunqam necesse erat, ut aquae frigidae applicatione sedaretur; nec brevi tempore eo adsuetudine non pervenerat, ut nullam inde molestiam perciperet, nec clausos quidem post factam injectionem oculos teneret. — Jam ubi tres quatuorve hebdomades practerierunt, tam perspicue malum recessit, ut opacitates aequales potius, quam

nubeculae animadverterentur, et aegrotus, qui natura myops erat, libros magnis typis exscriptos legere sarcireque sat subtiliter posset. Conjunctivae rubor omnino disparuit. — Post trium mensium decursum id aegrotus attigit, ut vel litteras scriptas legere artemque suam bene exercere queat. Dextri oculi cornea plane pellucida facta est; sinistri vero oculi levissimas obscurationes vix animadvertas.

## OBSERVATIO SEXTA.

*Fridericus Massute*, tringinta quatuor annorum vir robustus, habitu apoplectico insignis, jam plures annos blepharoblennorrhoea utriusque oculi, ab ophthalmia aegyptiaca, quam anno 1813 sustinuerat, relicta laboraverat. Tertia, antequam se ad nosodochium recipiebat, hebdomade ad istam blennorrhoeam praeterea rheumatica oculorum inflammatio, cum refrigerio sese exposuisset, accedebat. Jam cum reciperetur, primum inflammationis stadium superatum, nec nisi dolores modici, conjunctivae rubor et photophobia molestissima reliqua erat. Permulta vasa corneae marginem transibant; atque pannus tenuis et obscurationes corneae conspicuae erant. Applicatione hirudinum et adstringentium derivantiumque medicaminum usu evacuationi quidem vasorum oculi et mitigationi dolorum prospectum est; obscurationes autem et pannus, tantum aberat, ut minuerentur, ut potius procederent, et praeterea pterygia, ad mediam corneam usque prolongata, nascerentur. Sexta hebdomade, ex quo rheumatica

oculorum affectio exstiterat, primum, quid efficeret oleum citri, tentatum est. Male tamen conveniebat, Tanta enim injectiones irritatio oculorum sequebatur, ut, quamquam haud neglecto aquae frigidae usu, aegrotus plures horas palpebras clausas teneret, photophobia et dolores augerentur et vasorum ramificationes atque obscurationes corneae magis magisque extenderentur. Quamobrem jam tertio die, cum nona demum injectio facta esset, omitti oleum citri, necesse erat.

## OBSERVATIO SEPTIMA.

*Carolina Behrmann*, puella duodeviginti annos nata, corpore robusto validoque, habitu scrophuloso, jam primo aetatis tempore inflammatione oculorum fere continua, aliisque morbis, a causa scrophulosa ortis, vexata erat. Paulatim, repetitis oculorum inflammationibus, visus tantam jacturam fecerat, ut ad nosocomium caritatis confugere cogeretur. Photophobia magna ac lacrymarum secretio aucta erat; palpebrae inflammatae tumidaeque; cilia rara, alia hac, alia illuc vergentia; conjunctiva, et palpebrarum et bulbi, maxime circa canthum oculi internum tumida et rubore suffusa erat; nonnulli, prae cetera conspicui vasorum fasciculi, laete rubri, ab ambitu oculi ad corneam convergentes decurrebant, atque in laxis corneae lamellis dispersi rete vasorum subtilissimum exhibebant. Cornea utriusque oculi tota aequaliter obscurata tantopere erat, ut, quae profundius jacent, oculi partes e. g. iris

et

et pupilla omnino conspici non possent, aegrota vero ipsa nec in propinquo positas res nec earum ambitum quidem videret. Intrinsecus mercurialia cum pulvere radicis Jalappae, quibus alvus laxaretur, certis intervallis propinabantur; extrinsecus tinctura opii simplex et crocata ad oculos ipsos applicabatur. His autem remediis per duos fere menses frustra continuatis olei citri aetherei usum transire placebat. Quod cum duodecim dies quotidie omni hora injectum esset, illa vasorum ramificatio multo minor, vasa singula rariora erant. Ab albo oculi rubor ille lividus recedere et cornea pellucidior fieri coepit, ita ut, praesertim in sinistro oculo iris in conspectum prodiret, margo autem pupillaris dignosci nondum posset. Dolendum vero, quod injectiones illae, saluberrimo effectu laudatae, omitti oportebat. Aegrota enim, variolis infecta ad aliam valetudinarii partem transferebatur. Quatuor post hebdomades inde sanata redibat. Oculi a variolis liberi quidem manserant; attamen panni formatio tantopere progressa erat, ut scleroticae corneaeque, ubi inter se conjunctae sunt, limites, multoque minus iris utriusque oculi cernerentur. Sinistri vero oculi minor erat, quam dextri affectio. — Oleum citri aethereum denuo in usum vocabatur; neque vero, cum magna oculorum a variolis sensilitas relicta esset, iique injectionibus magnopere irritarentur, epithemata frigida initio negligebantur. Curatione per mensem continuata, vasorum multitudo et obscurationes corneae adeo diminutae erant, ut

et iridis color et pupilla ipsa perspicue diluceret, atque aegrota magnas res, haud procul remotas viridemque frondis colorem discerneret. — Cum iterum quatuor hebdomades praeteriissent, omnia corneae vasa disparuerant; in conjunctiva nonnisi vasa singula dispersa erant; scleroticae color nativus. Iris, omni ex parte conspicua, colorem e nigro fuscum ostentabat; visus hic prosperrimis mutationibus consentaneus erat. Palpebrae anomali nihil habebant. — Post aliquod tempus, cum injectiones in toto per spatium trimestre continuo adhibitae essent, oculi ad normalem structuram reduces erant. Neque in cornea oculi dextri levissimam, velut adspiratam obscurationem nisi accuratissima inquisitione vidisses, quae visui non obvia erat ac haud dubie disparuisset, si aegrota enteritide non exstincta esset.

## EPICRISIS.

Allatis his, quae aliis multis augere possum, exemplis, ut testimoniorum locum hac nova in re obtineant, quia ex aliorum scriptis nil desumendum est, breviter, qui sint, in quibus conveniat aut noceat hoc remedium, casus exponam, et, ubi laudandum sit, ubi rejiciendum, prout experimenta, quae facere licebat, varia docent, statuam: qui enim auctoritate non probant, eos exemplis probare res suas oportet.

I. Morbi oculorum, in quibus oleum citri aethereum, modo supra relato adhibitum, prodest, hi fere sunt:

1. *Ophthalmiae qualiscunque generis*, ubi secundum stadium intravit:

a) si chronicae fieri coeperunt,

b) si partes externae, inprimis conjunctiva bulbi et palpebrarum, cornea et sclerotica, affectae sunt.

c) si natura proclives ad gignendas varicositates sunt.

Nota. Ex illis, quae ego in medium protuli, exemplis, probabili quidem conjectura consequi licet, in omnibus, quae externas oculorum partes obsident, inflammationibus opportunum esse olei citri aetherei usum, mihi tamen nonnisi in his, quae sequuntur, quantos praestet effectus, observandi occasio oblata est:

α) in ophthalmia rheumatica
(cf. observ. secund. et tert.)

β) in ophthalmia catarrhali
(cf. observ. prim. et quart.)

γ) in ophthalmia scrophulosa
(cf. observ. prim. et septim.)

δ) in his ophthalmiis vario modo et gradu inter se conjunctis.

In his enim casibus magna miraque ejus efficacia erat.

2. *Pannus et Pterygium.* In tribus ejusmodi morbis oleum citri, itaque in duobus maximo cum successu adhibitum est; in tertio autem, cum oculi nimia esset sensilitas, omitti debuit. (Cf. observ. prim. sext. et septim.)

3. *Maculae et obscurationes corneae.* (Cf. observ. quint. et septim.)

4. *Relaxationes corneae.* (Cf. observ. prim.)

II. Vetari autem olei citri aetherei usum oportet:

1. In ophthalmia quaque florida et vigente, ubi detrahendi potius stimuli, quam addendi sunt.
2. Ubi nimia oculi affecti sensilitas et injectionem olei subsequens irritatio est. Neque tamen hujus rei justo major habenda ratio est, cum, ut supra jam commemoravi, oculi facillime hoc remedio adsuescant et bene tunc id ferant. — Ex altera vero parte negari nequit, vel chronicos oculorum morbos reperiri, qui, tantum abest, ut ex hoc aethereo levamen percipiant, ut etiam ejus usum prohibeant.

---

Jam cum ea, quae experientia mihi probata sunt, de olei citri aetherei et usu et effectu, retulerim, reliquum mihi esse videtur, ut cum alio medicamine, quod vim maxime affinem in morbis oculorum exhibet iisdemque sub conditionibus adhibetur, cum Tinctura opii dico, comparetur. Oleum enim citri aethereum, ut tinctura illa, medicis ophthalmiatricis usitatissima, incitat vasa adstringitque et eorum tonum auget; resorbtionem materiae morbo depositae juvat, et nervorum actiones excitat corroboratque. Initio semper fere magnam oculi irritationem gignit; quo diutius vero applicatur, eo magis sensilitas hebescit, ita ut oculi, vel maxime irritabiles huic stimulo plerumque brevi assuescant. — Commissum igitur illis, qui rei medicae haud gnari

sunt, hoc medicamen, in morbis oculorum adhibitum, sane periculosum habendum est, cum, inprimis si in ophthalmia vigente oculo inmittitur, magnam noxam inferre, inflammationem maxime augere et, continuato usu, vel visus exstinctionem efficere queat. —

Difficillimum autem est, dijudicare, utrum efficacius sit remedium, tinctura opii an oleum citri aethereum, cum illa iisdem in morbis, in quibus hoc plurimum laudis habet, ex longa annorum serie prosperrimo cum successu adhibita sit, ita ut forsan nunquam gratiae, in qua apud medicos ophthalmiatricos est, jacturam facere queat. Hoc vero certum est atque exemplis supra relatis probatum, in duobus casibus (cf. observ. quint. et septim.) oleum citri aethereum vel tunc sanationem attulisse, cum tinctura opii, diu adhibita, parum profecisset. Reperiri autem et alios casus, in quibus vice versa tinctura opii oleum citri efficacia superat, lubenter ego concedo. — Quod utcunque est: equidem non praeconium facere hujus novi, in morbos oculorum pertinacissimos, multum valentis remedii, sed id tribuere tantum ei laudis, quod meretur, volui. —

# CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADJECTUM.

Ego, *Gustavus Adolphus Werlitz*, die XVIII mens. octobr. a. MDCCCV Neo-Ruppini, a patre optimo et matre, e gente *Ramin*, natus, confessioni evangelicae addictus sum. Anno MDCCCIX cum parentibus carissimis, Postampium profectus et usque ad undecimum vitae annum ibi commoratus sum. Deinde Berolinum, patrem, praefecti superioris in nosocomiorum rebus militarium, munus suscipientem sequens, me contuli et gymnasii, quod cel. directore Dr. *Bellermann* floret; discipulorum numero adscriptus sum, ubi per septem annos in eas litteras, quae ad studia academica viam muniunt, incubui. A. MDCCCXXIII inter alumnos instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus, utriusque medicinae studio per quadriennium me tradidi; quo temporis spatio hisce praelectionibus interfui:

De philosophicis Cel. *Wolf*; de botanice et historia naturali Illustr. *Link*; de zoologia Illustr. *Lichtenstein*; de physice, chemia et pharmacia Illustr. *Hermbstädt* et Cel. *Turte*; de encyclopaedia medica, anatomia universa, comparata et organorum sensuum, entozoologia et physiologia Illustr. *Rudolphi*; de osteologia, splanchnologia et syndesmologia Illustr. *Knape*; de arte, cadavera rite dis-

secandi Illustr. *Rudolphi* et Illustr. *Knape;* de physiologia Cel. *Eck*; de pathologia generali Cel. *Fr. Hufeland;* de pathologia speciali, morbis syphiliticis, iisque mentis Illustr. *Horn*; de materia medica, de remediis in periculis vitae repentinis adhibendis atque de fontibus medicatis, Cel. *Osann;* de semiotice ac therapia tam generali, quam speciali cel. *Fr. Hufeland;* de arte, formulas medicas concinnandi Illustr. *Knape;* de therapia speciali Illustr. *W. Hufeland;* de chirurgia generali arteque fascias applicandi, de morbis ossium primitus mechanicis, de arte obstetricia tam theoretica, quam practica Illustr. *Kluge*; de chirurgia generali et speciali Illustr. *Rust*, de ophthalmiatrice Cel. *Jüngken*, de akiurgia Illustr. *de Graefe*, Illustr. *Rust* et Illustr. *Kluge*; de anthropologia forensi Illustr. *Knape.* Scholis clinicis medicis et chirurgicis Illustr. Virorum *Neumann*, *de Graefe*, *W. Hufeland*, *Rust* et *Kluge* interfui.

His studiis peractis medici inferioris munus in nosocomio caritatis Berolinensi per annum administravi.

Jam vero tentamine et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, spero, fore, ut hac dissertatione thesibusque defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

Quo facto Postampium ad medici militaris suscipiendum munus me conferre jussus sum.

# THESES DEFENDENDAE.

I.

*Trepanatio per se non est operatio periculosa.*

II.

*Fractura cranii simplex terebrae usum postulat.*

III.

*Arteriotomia interdum indicata.*

IV.

*Suicidium quoque in sanis occurrit.*